

ficia ecclesiastica, et alias consimiles gratias: ut si Papa det cuiquam litteras, quibus mandat eidem provideri de beneficio ecclesiastico. Et talia rescripta alio nomine dicuntur *Litteræ beneficiales*, item *Mandata apostolica* de providendo, vel *Gratiæ expectativæ*: atque expediri solent in multiplici forma; prout refert Azorius part. II, lib. VI, c. XXXIII, quæst. 4, et 5. Pirhing, tit. *de Præbend.* num. 234. et seqq. et alii. Atque rescriptis istis in jure civili correspondent ea, quæ per Imperatores conceduntur ad dignitates, et administrationes civiles; ut L. *Sacrilegii*, C. *de Divers. rescript.*

30. *Rescripta gratiæ exemplificantur? Dispensationes concessæ circa unum dumtaxat actum, proprie non sunt privilegia, et cur?* — Dantur etiam rescripta gratiæ, quæ versantur non circa beneficia ecclesiastica, sed circa jus operandi: sive hæc concedantur præter legem, ut sunt mera beneficia principis, et nulli tertio præjudicium generantia; sive contra legem, ut sunt privilegia. Huc reducuntur gratiæ illæ, quæ proprie ac stricte privilegia non sunt, conceduntur tamen contra jus commune: ut sunt dispensationes, quæ dantur ad unum dumtaxat actum exercendum contra legem communem, v. g. ad contrahendum matrimonium, non obstante impedimento canonico, ad suscipiendos ordines ab eo, qui contraxerat irregularitatem, et hujusmodi. Tales enim dispensationes proprie privilegia dici non possunt, eo quod non concedantur per modum legis privatæ ad operandum ordinarie ac stabiliter contra jus commune. Suarez, lib. VIII, *de Legib.* cap. II, num. 9, et 10. Pirhing, h. t. num. 4.

31. *Rescriptum mixtum, quid?* — *Rescriptum mixtum*, quod nonnulli addunt, dicitur illud, quod continet gratiam et justitiam simul; ut si Papa cuiquam conferat, vel conferri mandet beneficium ecclesiasticum, simulque ad hunc effectum constituat executores collata sibi potestate compellendi rebelles. Nam quatenus confertur vel conferri mandatur beneficium, hac ex parte rescriptum illud est gratiosum: quatenus vero datur jurisdictione compellendi rebelles, sapit justitiam, sicque appellatur *Rescriptum mixtum*. Card. Tuschus litt. R. concl. 209, num. 7 post Geminianum, consil. 63, num. 24.

32. *In dubio rescriptum præsumitur esse justitiæ, et non gratiæ.* — Porro inter rescripta justitiæ, seu ad lites, et inter rescripta

gratiæ, seu ad beneficia, multiplex est discrimen, prout amplius ex progressu patebit. Solum hic præliminariter est notandum, quod in dubio rescriptum præsumatur esse justitiæ, et non gratiæ; ac proinde is probare debeat, qui dicit rescriptum esse gratiosum, sive continens gratiam, et non justitiam. Card. Tuschus, cit. concl. 109, n. 2. post Geminianum, loc. cit. num. 23. Pirhing h. t., num. 4.

§ I.

DE IMPETRATIONE RESCRIPTORUM.

33. *Rescriptum potest impetrare, quæ expresse a jure non prohibetur.* Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur. — Quæritur I. Quis possit, vel non possit impetrare rescriptum a principe? Resp. I. Omnis ille, qui non reperitur expresse a jure prohibitus, potest impetrare rescriptum. Ita communis. Siquidem in materia communiter non prohibita, qualis est hæc, procedit illud vulgatum axioma: « Concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur. » Glossa in c. *Inter corporalia*, §. *Non invenitur, de Translat. episc.* atque desumitur ex can. *Jam nunc*. 28. q. 1. et cap. I. *de Procurat.* in 6, cum similibus.

34. Prohibitum intelligitur, quod non reperitur concessum. *Concordatur cum priori regula.* — Neque obstat illud pariter receptum, et in cit. c. *Inter corporalia*, allegatum: « Prohibitum intelligitur, quod non reperitur concessum. » Non obstat, inquam: quia istud posterius axioma procedit dumtaxat nonnunquam (ut addit expresse textus) hoc est, sicut explicat Abbas ibid. num. 21, in materia regulariter, et communiter prohibita: nam, ubi aliquid generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum. Clem. *Exivi*, §. *Porro, de Verb. signif.* et amplius Glossa in cap. I. §. *Concessum, de Supplend. neglig. prælat.* in 6. Secus est in materia communiter non prohibita: tunc enim locum habet prior regula.

35. *Edictum prohibitorium, et edictum permissorium, quid, et unde sic dicatur?* — Et nota occasione præmissorum, quod edictum aliud sit prohibitorium, aliud permissorium. *Edictum prohibitorium* dicitur, quod editur in materia de se et communiter permissa, sed in certis casibus prohibita. Hinc l. *Mutus*, ff. *de Procurat.*, dicitur: « Cum quæritur, an alicui procuratorem habere liceat, inspicien-

dum est, annon prohibeatur procuratorem dare: quia hoc edictum prohibitorium est » (supple cum Glossa ibidem, §. *Hoc edictum*) certarum personarum, quæ a procuratore constituenda removentur, unde aliis concessisse videtur: et si quis dicat non licere lege, vel constitutione, probet. Concordat c. *Cum apud Sedem*, 23, *de Sponsalib.* ibi: « Cum prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, quicumque non expresse (ut addit Glossa) prohibetur, per consequentiam admittitur. » Econtra *Edictum permissorium dicitur*, quando materia, quæ de se ac regulariter est prohibita, in certis casibus permittitur: nam edictum prohibitorium, vel permissorium, recipit denominationem a specialitate, qua ipsum aliquid prohibet, vel permittit, non autem a generalitate materiæ. Glossa magna, in cap. I, *de Procurat.*, in 6 et alii.

36. *Servi de jure civili non possunt rescriptum impetrare, nisi in certis casibus.* — Resp. II. De jure civili regulariter prohibitum est servis, sive mancipiis proprie dictis, supplicare principi, sicque ab eo rescriptum impetrare: nisi de domini nece vindicanda agatur, L. 1. C. *de Precib. imperat. offeren.* Aut nisi in atrocissimis causis id fiat, ut puta quia dominus in servos sæviret, arg. L. 2. ff. *de Is, qui sui vel alieni jur.* Hostiensis num. 4. h. t.

37. *Si tamen servus admittatur, valet rescriptum ab eo impetratum.* — Sciendum tamen, quod licet servus regulariter non admittatur, si tamen admissus fuerit, valet rescriptum ab eo impetratum pro alio l. *Universis*, C. *de Precib. imperat. offerend.* Imo etiam pro se impetratum valet, dummodo princeps seve-rit suam conditionem servilem; alias vero non. Glossa in cit. l. *Universis*, §. *Vel servo.*

38. *Hæretici de jure civili prohibentur rescriptum impetrare. Et quid de jure canonico.* — Resp. III. Hæretici de jure quoque civili prohibentur rescriptum impetrare. Ita habet textus expressus in L. 2. C. *de Summa Trinit.* ibi: « Sciant omnes, etiamsi quid speciale quolibet rescripto per fraudem elicit, ab hujusmodi hominum (hæreticorum) genere impetratum sit, non valere. » Et hæc procedunt de rescriptis imperatoriis, quamquam quia hæretici ipso jure sunt excommunicati, c. *Excommunicamus*, 13. *de Hæreticis*, cum concordantiis; de ipsis spectato etiam jure canonico data conclusio procedat, juxta mox dicenda de aliis excommunicatis. Unde

39. *Excommunicatus, an possit impetrare rescriptum?* — Quæritur II. Utrum excommunicati possint impetrare rescriptum pontificium? Resp. Rescriptum papale impetrare non potest excommunicatus excommunicatione majori; nisi in causa excommunicationis, vel appellationis ad suam defensionem. Ita communis, et patet ex c. *Dilectus*, 26. h. t. ubi rescriptum ab excommunicato tacita excommunicatione impetratum, censetur subreptitium, ac nullius roboris. Tum quia (ut inquit Glossa §. *Excommunicationis*) tacuit vitium suum; tum etiam, quia ingressus se communioni hominum, propter quod est puniendus, c. *Illud, de Cleric. excommunicat. minist.* unde inconveniens foret, quod ex eodem facto simul consequeretur commodum. Concordat textus expressus in cap. I. h. t. in 6. ibi: « Ipso jure rescriptum, vel processus per ipsum habitus non valeat, si ab excommunicato super alio quam excommunicationis, vel appellationis articulo, fuerit impetratum. »

40. *Non potest impetrare rescriptum papale, bene tamen aliud.* — Dicitur primo, *Rescriptum papale*. Nam allata conclusio procedit solum de rescriptis pontificiis, sive a Domino Papa emanatis (pro quibus etiam nomen *rescripti* simpliciter, et absolute prolaturum, in ecclesiasticis accipitur) non autem de rescriptis Imperatorum, aut aliorum Papa inferiorum: quia constitutio proxime memorata, cum sit odiosa, potius restringi debet, quam extendi. Navarrus, consil. 44. numer. 4 et 6. *de Sent. excomm.* Pirhing, h. t. num. 10. Layman, cap. I, num. 4, h. t. in 6. Suarez, et alii.

41. *Si sit excommunicatus excommunicatione majori.* — Dicitur secundo, *Excommunicatus excommunicatione majori*. Nam allegata jura, rescripti impetrationem denegantia, procedunt solummodo de excommunicato excommunicatione majori, ut desumitur ex c. *A Nobis, de Exceptionib.* et c. *Pia*, §. 1, eod. in 6, ac notat Glossa cit. cap. I, §. *Ab excommunicato*, h. t. in 6. Siquidem excommunicatio minor privat sola participatione, seu perceptione sacramentorum, c. *Si celebrat, de Clerico excommunicat. ministrant.* ac proinde non impedit impetrationem rescripti.

42. *Adeo, ut tunc neque per procuratorem possit impetrare rescriptum pontificium. Sive excommunicatio sit publica, sive occulta.* — Cæterum excommunicatus excommunicatione majori adeo est inhabilis ad impetrandum

rescriptum, ut illud non solum non possit impetrare per seipsum, sed neque per procuratorem, arg. cap. ult. *de Procurat.*, et ibi Glossa marginalis, rejiciens sententiam Glossæ primæ, quæ videtur oppositum tenere. Abbas, in d., cap. ult., num. 11. J. Andreas, ibid. et alii. Sicut a pari, si episcopus incidat in excommunicationem, non potest is negotia diocesis exercere per procuratorem, vel vicarium suum generalem, cap. 1, *de Officio vicarii*, in 6. Quinimo excommunicatus etiam nequit impetrare rescriptum pro alio, licet non excommunicato, arg. c. *Decernimus*, 8, *de Sent. excomm.*, in 6, et notat Layman, cit. cap. ult. num. 1, *de Procurat.* Et hoc, sive excommunicatio sit publica, sive occulta. Abbas, loc. cit., cum impræsentiarum jura non distinguant, sed indistincte de excommunicato loquantur, prout amplius, num. 50, declarabitur.

43. *Nisi in causa excommunicationis.* — Dicitur tertio, « nisi in causa excommunicationis, vel appellationis. » Nam hi duo casus expresse habentur excepti, cit. cap. 1, h. t. in 6. Ne alioquin excommunicato subtrahantur media justæ defensionis, quorum unum contra quodecumque gravamen injuste illatum suppetit per viam appellationis; alterum vero per modum simplicis querelæ contra excommunicationem injustam. Unde imprimis, si quis contendat se fuisse excommunicatum injuste, potest is Papæ supplicare, et ab eo rescriptum obtinere, ut vel excommunicator (si ita est) absque difficultate ipsum absolvat; vel eo non parente, per deputatos judices, prævia causæ cognitione, mandatum apostolicum executioni mandetur, c. *Ab excommunicato*, 41, h. t. Alioquin enim, si hoc non liceret, injuste excommunicatus destitueretur remedio valde commodo ad defendendum se contra injustam excommunicationem: eo, quod relatio ad principem per modum simplicis querelæ sit facilior appellatione; simulque excommunicatio, quamvis injusta, liget (saltem in foro externo, seu quoad homines, licet non quoad Deum) ac proinde sit servanda in facie Ecclesiæ; quousque quis ab ea fuerit absolutus, vel innocentia ipsius, atque error censuræ publice innotuerit, can. *Si quis a proprio*, et can. *Si episcopus*, 41, q. 3. ac fuse tradit Abbas in cit. c. *Ab excommunicato*, num. 10, h. t. Unde can. 1, ead. 11, q. 3. Sanctus Gregorius papa refertur, dicens: « Sententia pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est. »

44. *Vel appellationis. Idemque declaratur.* — Deinde si excommunicatus super aliquo negotio, quodecumque illud sit, convenitur in judicio (potest enim excommunicatus stare in judicio ut reus, atque ab alio conveniri, ne de sua malitia commodum reportare videatur, si conveniri non posset, c. *Intelleximus, de Judiciis*) licebit eidem, si viderit se gravatum per sententiam judicis, vel alias, appellare, et appellationem proseguere, et super tali articulo appellationis rescriptum apostolicum impetrare, et alia omnia agere, quæ ad sui justam defensionem pertinent, cit. cap. 1, h. t. in 6. Et merito: quia appellatio est species defensionis, ab ipso jure naturæ omnibus concessæ: simulque, cui conceditur principale, puta appellare, etiam accessorium concessum intelligitur, videlicet posse desuper, rescriptum impetrare. Glossa fin. d. c. *Intelleximus*.

45. *Rescriptum ab excommunicato impetratum, an sit ipso jure nullum, an dumtaxat ope exceptionis? Ratio dubitandi, ac posterius tenendi.* — Queritur III. An rescriptum ab excommunicato impetratum, sit ipso jure nullum, vel dumtaxat ope exceptionis; adeoque valeant gesta virtute talis rescripti, si nemo contra illud excipiat? Ratio dubitandi, et hoc posterius tenendi, desumitur ex c. *Pia*, 1, *de Exceptionibus*, in 6, ubi decernitur, quod quando quis excommunicatus agit in judicio, et ope exceptionis rei, vel ex officio judicis non repellitur, valeat processus, atque sententia inde subsequuta. Et ideo, quod processus habitus per litteras impetratas ab excommunicato valeat, si non opponatur exceptio, tenuit Innocentius in c. *Prudentiam*, § *Sexta. Offic. Delegat.* Bernardus et Durandus, quos citat. Glossa, cap. 1, vers. *Ipo jure*, h. t. in 6. Verum his minime obstantibus,

46. *Tale rescriptum est ipso jure nullum, sicut et processus per ipsum habitus.* — Resp. I. Rescriptum ab excommunicato impetratum, extra memoratos duos casus, non tantum ope exceptionis, sed etiam ipso jure est nullum: sicut et processus per ipsum habitus ipso jure non valet. Ita communis aliorum, et patet ex allegato, cap. 1, h. t. in 6, ubi ipso jure rescriptum, atque processus per ipsum habitus, non valere decernitur, si ab excommunicato fuerit impetratum; et consequenter ad ejus invaliditatem non est opus exceptione partis adversæ.

47. *Solvitur instantia, concordando cap. 1 de Constitut. in 6, et c. Pia de exceptionib. in 6.* —

Dices. Ista decretalis est prior citat. decretali *Pia de except.* in 6, ergo, cum in ista processus ab actore excommunicato factus valere dicatur, si reus non exceperit, per hanc, utpote posteriorem, prior illa revocata videtur. Ant. patet ex superscriptionibus: nam cap. 1, h. t. in 6, est Gregorii IX, qui creatus fuit 1227, et decretalis *Pia* fuit edita in concilio Lugdunensi, sub Innocentio IV, celebrato circa annum 1245. Resp. neg. consequent. Decretales enim illæ loquuntur in diversis casibus, sicque sibi mutuo non contradicunt, neque una derogat alteri. Nam, cap. 1, h. t. in 6, procedit, quando actor tempore impetrati rescripti fuit excommunicatus, et virtute illius rescripti agit coram iudice delegato: at vero cap. *Pia* loquitur in casu, quando actor excommunicatus agit coram iudice ordinario; tunc enim reo non excipiente valet processus, non item in priori casu. Glossa magna, cit. cap. 1, h. t. in 6.

48. *Cur nemine excipiente valeat processus habitus coram iudice ordinario, non item coram delegato?* — Et si quæras, quæ sit ratio diversi juris inter hosce duos casus? Respondetur, disparitatem in hoc consistere: quia, si excommunicatus agit causam coram iudice ordinario agitur coram eo, qui jam antea habebat jurisdictionem suam ordinariam, sicque jurisdictione ejus non incipit ab actore excommunicato agente, seu impetrante rescriptum justitiæ; et ideo valet processus coram iudice ordinario, factus, nisi de excommunicatione actoris excipiat. Contra fit in iudice delegato, seu dato per rescriptum ab excommunicato impetratum: iste enim antea non habuit jurisdictionem aliquam respectu talis causæ, sed eam primum acquirere debet per rescriptum; ideoque habet vitiosum principium, tum ex persona actoris in excommunicatione impetrantis rescriptum, tum ex parte rescripti, utpote quod ipso jure nullius est roboris, ac prorsus invalidum: adeoque non mirum, quod processus inde factus censeatur ipso jure non valere, cum sit formatus a non habente jurisdictionem.

49. *Quid juris, si post impetratum rescriptum, ac durante lite, impetrator ejus incidat in excommunicationem?* — Secus foret dicendum, quando quis tempore impetrationis rescripti nondum erat excommunicatus, sed durante lite primum incurrit excommunicationem. Quia sequens excommunicatio non vitiat rescriptum antea obtentum, ac proinde processus coram iudice delegato, utpote vi ta-

lis rescripti jurisdictionem jam habente, formatus valet, nisi opponatur exceptio dictæ excommunicationis, Glossa, loc. cit.; Barbosa, in cap. 1, num. 17, h. t. in 6.; Socinus, in c. *Sacris*, numer. 168, *de Sent. excomm.* et alii.

50. *Rescriptum ab excommunicato impetratum, est nullum, licet excommunicatio sit occulta, et excommunicatus non vitandus.* — Resp. II. Rescriptum ab excommunicato impetratum, una cum processu inde formato, est ipso jure irritum atque invalidum, etiamsi excommunicatio fuerit occulta, atque excommunicatus non sit vitandus, sed tolerandus; prout de facto post concilium Constantiense, sub Martino V, celebratum, circa annum Domini 1414, nulli excommunicati sunt vitandi, nisi sint specialiter et nominatim denunciati, vel nisi sint notorii percussores clericorum. Ita Barbosa, loc. cit. numer. 3, post Geminianum, Abbatem, Felinum, et Pirhing, h. t. num. 8, citans communem. Ratio est, quia Pontifex, cap. 1, h. t. in 6, generatim loquitur de excommunicato, atque rescriptum ab eodem impetratum, una cum processu inde habito, decernit ipso jure esse nullum.

51. *Concilium Constantiense non intendit excommunicatos in aliquo relevare.* — Accedit, quod istud fuerit statutum in odium excommunicationis, simulque excommunicatis, etiam toleratis, per concilium Constantiense nullus omnino favor fuerit factus, cum solum fidelibus innocentibus consulere voluerit, ne facile communicando cum excommunicatis aliquam censuram incurrant. Covarruvias, in c. *Alma mater*, part. I, § 2, numer. 11; Sylvester, vers. *Excommunicatio* 5, num. 7 et 8; Fagnanus, in c. *Quod a prædecessore*, n. 54 et 72, referens verba dicti concilii, et alii: atque liquet ex bulla Martini V, in dicto concilio edita, quæ incipit, *Ad evitanda*, et circa finem expresse protestatur, « quod per hoc non intendit, excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari. » Et consequenter, quantum ad ipsos excommunicatos, ac impetrationem v. g. rescripti per eosdem obtenti, rigor antiqui juris canonici adhuc manet inconvulsus, et invariatus.

52. *Rescriptum ab excommunicato impetratum, est ipso jure irritum, tam pro foro externo quam foro conscientie, ac ante omnem sententiam judicis.* — Resp. III. Ejusmodi rescriptum ab excommunicato impetratum, est ipso jure irritum non tantum pro foro externo, sed etiam pro foro conscientie, et ante omnem sententiam judi-

judicis condemnatoriam, vel declaratoriam. Ita Suarez disp. 17, de *Censuris*, sect. 1, num. 4. Sylvester, vers. *Rescriptum*, q. 2. et alii, contra Navarrum, consil. 44, num. 7. et 8. de *Sentent. excomm.* Ratio est: quia excommunicatio secum trahit executionem, ut dicitur in *c. Pastoralis*, 53. § fin. de *Appellat.* Simulque leges, quæ meram pœnam spirituales inferunt, aut simpliciter inhabilitatem ad aliquem actum inducunt, non requirunt sententiam judicis, sed statim effectum suum habent, et obligant, ut dictum est, tit. præc. § 10, num. 226. et seqq.

53. *Absolutio a censuris ad cautelam, quid operetur?* — Et hac de causa hodie de stylo curiæ Romanæ solet plerisque rescriptis inseri absolutio a censuris ad cautelam in ordine ad effectum illius rescripti certius consequendum: unde licet quis noverit, quod obtinuerit rescriptum in excommunicatione constitutus, si tamen fuit inserta absolutio illa ad cautelam, valide, ac licite pro foro conscientie eodem uti poterit. Insuper, si postea innoverit impetratorem rescripti fuisse tempore impetrationis excommunicatum, ex hoc capite valor rescripti etiam in foro externo impugnari non poterit: quia impetrator ipsius jam fuerat absolutus in ordine ad ejus effectum consequendum. (ADNOTATIO XXIV.)

54. *Absolutio ab excommunicatione primum superveniens non convalidat rescriptum ab excommunicato impetratum.* — Secus est dicendum, quando absolutio ab excommunicatione primum supervenit: quia rescriptum ab excommunicato impetratum adeo est invalidum et nullum, ut superveniens absolutio illud non convalidet. Abbas in *c. Prudentiam*, §. *Sexta*, n. 10, de *Offic. delegat.* Barbosa, loc. cit., n. 16, citans insuper Anchoranum, Rebuffum, et alios. Licet enim per absolutionem reducatur excommunicatus in statum pristinum, can. *Quod autem*, 4, q. 1, nihilominus, quia rescriptum ab excommunicato impetratum nunquam valuit, secuta ejus ablutione non potest reconvallescere.

55. *Explicatur c. Prudentiam. § Sexta de Offic. delegat.* — Nec dictis obstat textus in *c. Prudentiam*, § *Sexta*, de *Offic. delegat.* ubi habetur, quod actor, quem reus probat excommunicatum, prius a iudice delegato sit absolvendus, et postea audiendus; ac proinde videtur sequi, quod absolutio sequens possit convalidare rescriptum ab ex-

communicato impetratum. Resp. enim neg. sequel. Quia, loc. citat. sermo est de excommunicato, qui incidit in excommunicationem post rescriptum papale jam antea impetratum, ac proinde, ut possit stare, et agere in iudicio, haud obstante exceptione suæ excommunicationis per reum proposita, et probata, prius in forma Ecclesiæ absolvendus est: non autem ibi sermo est de tali, qui tempore impetrationis fuit excommunicatus, ut ibidem notat Glossa, vers. *Vinculo*, et Abbas, num. 10; Pirhing, tit. de *Offic. delegat.*, numer. 85 et alii. Quod si etiam quis illud capitulum velit intelligere de rescripto in excommunicatione impetrato, dicendum erit id procedere in casu articuli excommunicationis, vel appellationis, juxta cap. 1, h. t. in 6.

56. *Rescripta gratiæ possunt impetrari pro alio absque ejus mandato.* — Queritur IV. Utrum quis possit impetrare rescriptum pro alio absque ejus speciali mandato? Resp. cum communi, hic esse distinguendum inter rescripta gratiæ, et justitiæ. Et quidem rescripta gratiæ posse impetrari pro alia persona capaci sine ejusmodi mandato speciali, fatentur passim doctores, post Glossam in *c. Nonnulli*, vers. *Sine speciali*, h. t. Idque satis desumitur ex l. *Universis*, C. de *Precib. Imperat. offerend.* ibi: « Universis simul hanc observantiam remittimus, ut a quocumque supplicante impetratum fuerit rescriptum, minime requiratur, per quem preces oblatæ sint. » Hoc quippe ad minus habebit locum in rescriptis gratiæ.

57. *Non item rescripta justitiæ, quantum est de rigore juris.* — Econtra vero rescripta justitiæ, seu ad lites, quantum est de rigore juris, ac seclusa contraria consuetudine, non posse pro alio impetrari absque ejusdem mandato speciali, expresse habetur, cit. cap. *Nonnulli*, 28. § *Sunt et alii*, et *c. Ex parte* 33, § fin. h. t. In quo posteriori loco proinde concluditur, non valere rescriptum, quod procurator revocatus, et de hoc certificatus pro domino impetravit; cum idem sit, non habuisse mandatum, et mandatum esse revocatum; imo hoc plus sit, quia contra expressam voluntatem domini tunc ageretur.

58. *Nisi pro personis conjunctis.* — Ab hoc tamen rigore juris in utroque cit. cap. excipiuntur personæ conjunctæ, a quibus non debet de jure exigi mandatum: quales sunt liberi, parentes, fratres, affines, et liberti, argum. l. *Sed et hæ personæ*, ff. de *Procurat*

ne notat Glossa in cit. *c. Ex parte*, versic. *Personis*. Quia enim agere licet pro talibus conjunctis personis absque earum voluntate, vel mandato, dummodo contraria voluntas non probetur, textus clar. l. *Pomponius*, §. fin. ff. de *Procurat.* Ergo et rescriptum justitiæ pro iisdem obtineri poterit absque mandato, dum tamen non apparet de contraria earum voluntate.

59. *De consuetudine tamen moderna curiæ Romanæ valet rescriptum justitiæ pro extraneo impetratum, absque ejus mandato.* — Additur etiam numer. 57: « Quantum de rigore juris ac seclusa contraria consuetudine. » Siquidem secundum stylum, et hodiernam consuetudinem curiæ Romanæ, possunt etiam extraneis personis nomine alieno, et sine speciali mandato, impetrari rescripta justitiæ, seu ad lites; nec solet amplius admitti exceptio defectus mandati. Navarrus consil. 4. de *Rescript.*, numer. 9, post Felinum, qui fuit auditor Rotæ, in *c. Cum inter, de Exceptione*; Vallensis, h. t. §. 3, nu. 4, citans Gonzalez ad reg. VIII cancell.; Glossa. 63, n. 16 et seqq.; Pirhing h. t. n. 14 et alii.

§ III.

DE PRÆSENTATIONE RESCRIPTORUM.

60. *Rescripta justitiæ sunt presentanda intra annum, habita copia judicis delegati; alioquin valet secundum rescriptam ab adversario impetratum, etiam non facta mentione de primo.* — Queritur I. Intra quod tempus rescripta sint presentanda? Resp. Rescripta justitiæ, seu ad lites, sunt presentanda intra annum, habita tamen copia judicis delegati: alioquin, si impetrator ejusmodi rescripto intra annum dolo vel negligentia usus non fuerit, et tamen delegati judicis copiam habuerit, valet secundum rescriptum impetratum ab adversario, licet de primo non faciat mentionem. Ita communis; et habetur expressum in *c. Si autem*, 9. et *c. Plerumque*, 23. h. t. Idque merito statutum est, eo quod nonnulli impetratis litteris apostolicis malitiose, aut negligenter, ipsis longo tempore uti noluerint, et tunc demum eas exhibuerint, quando ipsorum adversarius alias posteriores litteras a Papa impetravit, excipientes, quod hæc, utpote non facientes mentionem de prioribus, non valeant. Cum igitur malitiis hominum non sit indulgendum, mandavit Pontifex. rescripta

ad lites intra annum presentari debere, postquam tamen copia judicis habita fuerit; alioquin valeat posterius rescriptum, etsi non faciat mentionem de priori.

61. *Solvitur instantia ex c. Cæterum, h. t. desumpta.* — Nec obstat *c. Cæterum*, 3. h. t. ubi non valet secundum rescriptum, super aliqua causa a Sede apostolica obtentum, si in ipso non sit mentio de primo. Resp. enim hoc capitulum esse limitandum, atque intelligendum conformiter cit. *c. Si autem*, et *c. Plerumque*, videlicet, quando prius impetrator intra annum uti cœperit primo rescripto a se impetrato, vel saltem probare possit, quod eodem tempestive uti voluerit, nec tamen judicis delegati copiam habuerit: tunc enim non valet secundum rescriptum, nulla facta mentione de primo obtentum; idque ex defectu voluntatis concedentis, arg. *c. Ex parte*, 12. de *Offic. delegat.* Secus dicendum, quando primus impetrator dolo, vel negligentia, suo rescripto intra annum uti prætermittit.

62. *Si non impetratur secundum rescriptum per adversarium, tunc prius est perpetuum.* — Nota tamen Abbas cit. *Si autem*, num. 3. h. t. quod rescriptum ad lites ob dolum, vel negligentiam impetratoris in utendo (quæ post lapsum anni præsumitur nisi ad impetratore probetur impedimentum) tunc demum perdat, si per adversarium impetratur secundum contrarium: alias autem, non data impetratione secundi rescripti, primum est perpetuum; id est, durat tanto tempore, quanto durat actio, super qua impetratur. Et hoc probatur ex textu singulari. l. *Falso asseveratur*, c. de *diversis rescript.* ubi dicitur, quod rescripta justitiæ, sive ea, quæ ad jus rescribuntur, perennia esse debeant, non vero annalia, nisi aliud tempus definiatur in eis. Atqui allegati textus juris canonici, ponentes terminum unius anni, loquuntur dumtaxat in casu impetrati posterioris rescripti: ergo hoc non impetrato procedit jus antiquum, in d. l. *Falso asseveratur*, expressum; cum non censeatur plus de prioris lege mutatum, quam est expressum. l. *Præcipimus*, c. de *Appellat.*

63. *Et hac ratione rescripta justitiæ dicuntur perpetua.* — Et hac de causa Jason in d. l. *Falso asseveratur*, numer. 1. et Fachneus *Controvers. juris*, lib. VIII, cap. 65, allegans veram, et communem sententiam, absolute docet rescripta justitiæ perpetua esse: cum non sit inducenda inter jus civile, et canoni-